

L X X I.

Inscrlptionem hanc Anno MDCXXVII. dum quidam Cathedralis Ecclesie stylobates reficeretur, erutam vulgavit Fabrettus Inscr. Domest. Cap. IX. n. 207.

L X X I I.

M Antonius de Gozze apud DD. de Æmiliis in sua Col-
lectione existisse testatur. Gruterus habet pag. DCXCIII.
11. *Roma apud Carpensam in ara marmorea: in Tympano sunt
carduus, flores, & cornua copia: Subtus Genii duo in cornibus
copia stantes sertum pretendunt, in quo tertius Genius grypho in
pistricem desuanti insidet. Vidit Smetius, Boissar. Tom. IV. 88.*
Mirabitur hinc aliquis inter Pisarenzia marmora locum huic
nos fecisse. Verum lapis periit; Roma aduectum fuisse nemo
trahit; In describendis Inscrlptionum locis nimium quantum
errant Editores. Si quis tamen Romanam esse Inscrlptionem
contendit, per me licet.

L X X I I I.

A Pianus Inscrlptionem hanc Pisauri existare scribit; deest
tamen in omnibus nostris collectionibus. Enimvero num-
quam Pisauri existisse puto, & falsum fuisse Apianum arbi-
tror, quod non semel in antiquarum Inscrlptionum locis in-
dicandis accidisse dolui. Bis in Grutero edita est. Primum
pag. DCV. 8. ex Ursini MS. & existare dicitur *ad D. Petri
in Vaticano*; deest in eo exemplari PETRONIA NICE, alia-
que varietates occurrunt, quas hic adnotare operæ pretium
non esset: iterum pag. DCLXVII. 1. e Mazochio & Verde-
rianis *Roma in Domo Bernardini della Valle*. Hoc Gruteri
exemplar prætulimus; ut autem liberum sit cuique iudicium
en illud, quod Apianus vulgavit.

D. M